

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

89. Balneum Regis Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

88. Aqua Regis Ripley,
Pag. 349. Viatici.

FAc Aquam corrosivam de sale petrae & armoniaco, & non ponas ultra quatuor uncias in destillatorio & trahè cum lento igne aquam, in qua dissolve & fac oleum solis, &c.

Hanc Aquam fortem Basilius Valentinus vocavit Balneum Regis de quo ita in Elucidatione secundæ Clavis: Nota amice, & seriò considera, quoniam hîc latet principale secretum. Fac ut conficiatur Balneum, cave ne aliquid intret peregrini, ne nobile semen auri radicitus destruat post ejus dissolutionem. Exactè itaque & cum cautela examina res, de quibus te informat clavis secunda; videlicet, Qualia materialia sint accipienda pro Regis Balneo, quo Rex dissolvi & ejus externa forma frangi debent ut anima ejus immaculata exeat. Huic proposito subservient Draco & Aquila, id est, Nitrum & sal armoniacum ex quibus unitis conficitur aqua fortis uti informaberis in meis manualibus ubi tractaturus sim de particulari solis.

89. Balneum Regis Basili,
Libr. Partic. in Particul. Solis.

R. **S**alis petrae partem unam, salis armoniaci partem unam, silicium pulverisatorum partem semis, misce & destilla. Nota; Aquam hanc cum cautela & exactè esse destillandam, nam per methodum communem destillari nequit; expertus in chymia (*secretioris*) operationibus sciet quid faciendum: Nota; Oportet ut habeas Retortam terream fortem bene lutatam, in cujus superiori parte exeat fistula dimidiæ spithamæ longa, & duorum digitorum lata, appone Recipiens magnum, luta bene, ignem per gradus augmenta usque dum Retorta candeat. Tum per fistulam injice cochleare hujus materiae, &

subitò claude fistulam linteo madido, & spiritus impetuosè transiens in recipiens; spiritibus sedatis aliud injice cochleare dictæ materiæ, ita procedendo usque dum nulla materia superfit, & Aquam habebis Gehenneam, dissolvens Auri calcem in instanti in solutionem crassam, de quâ mentionem feci in tertia parte, ut & in secunda clavi, non solummodo Aurum dissolvens sed idem redigens in volatilitatem, &c.

Hoc Balneum Regis describitur etiam à Basilio in Revelatione manualium operationum. Ita,

90. Aqua philosophica ad solutionem Auri Basilii,

Labore primo Revelation. man. operation.

Re. **S**alis petrae, salis armoniaci ana partes duas, lapillorum lotorum partem unam, tere simul, & per retortam (*tubulatam*) destilla aquam in recipientem amplum, injiciens per tubulum duas aut tres uncias; recipiens sit magnus, & jaceat in vase pleno aquâ frigidâ, & lineis pannis humidis tegatur, ut spiritus refrigescant, valdè enim incallescet; juncturas retortæ optimè obtura, ignem succende, & retorta calefacta injice uncias tres materiæ, tubulo statim obturato transibunt spiritus, & recipiens albescet, & guttæ cadent: Cum spiritus confederint, injice denuò uncias tres, obturato statim tubulo, procede ut prius sapius mutando linteâ madidâ; continua laborem hunc donec aquæ satis habeas, quam obtura optimè, ne evaporet, est aqua vera & Balneum minerale pro Rege.

Basilium æque ac Isaacum sale harmoniaco vegetabili non communi pro suo Balneo usum fuisse, usus ejusdem etiam probat.

Re. Aquæ hujus partes tres, calcis auri partem unam, misce in cucurbita, pone cum alembico super cineres calidos, solvetur; & si non solvatur totum, effusâ aquâ affunde novam, & hoc donec omnis calx soluta sit in Aqua; cum refluxerit subsident faeces albæ in fundo, quas separa; aquam omnem conjunge, & in Balneo per diem & noctem digere, facibus denuò remo-

ris